

*clv. d. 3. S. g.* Celsissimi, ac Reverendissimi  
Nr. DOMINI DOMINI Od.  
153979

M I C H A E L I S  
I. ARCHIEPISCOPI LABACENSIS,  
S. R. J. PRINCIPIS, E LIB. BAR.  
B R I G I D O

de Marenfels & Bresoviz, Sac. Cæs. Reg. Ap. Majest. Consiliarii  
intimi actualis, solio Pontificio assidentis &c.

# PASTORALIS EPISTOLA

in qua præscribitur ordo in Archidiœcesi servandus, dum sacræ res peraguntur,  
aliaque monita ad Parochos continentur, ut suo rectius officio fungantur.



LABACI,

Typis Joannis Bapt. Retzer Anno 1804.

153979

ДОМ  
ЛІЧНІ  
ДЕ

153979



N 881/1971

030051848

# NOS MICHAEL DIVI- NA MISERATIONE ARCHIEPISCO-

PUS LABACENSIS, S. R. I. PRINCEPS, S. C. R. & A.

M. CONS. INT. ACT. &c. &c.

Dilectis Nobis in Christo, Venerabili Capitulo Ecclesiæ Nostræ  
Metropolitanæ, Decanis ruralibus, Parochis, cæterisque animarum  
Rectoribus & universo Clero Archidiœcesis Nostræ.


Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

2076. d. 3. R. 3.

**A** prima die, qua ad regendam amplissimam hanc Dicœcœsim divino consilio  
electi sumus, nihil paternam solicitudinem nostram, quam Clero, populoque No-  
stræ fidei commissis debemus, acerbius fatigavit, quam magna, qua undique  
premimus, Sacerdotum penuria. Mæssis quidem multa, operarii autem pauci. Vi-  
demus enim gregem hinc inde proprio etiamnum pastore orbatum: videamus indefes-  
tos in vinea Domini operarios aut annis jam decrepitos, aut continuis labori-  
bus attritos pondus diei portare, & æstus, qui onerum mole oppressi, auxilium  
a Nobis, ne in via deficiant, jure postulantes incassum præstolantur.

Huic malo vehemente condolentes sœpenumero in causas ejusdem pro offi-  
ciis Nostris gravitate indagavimus. Ac inter innumeræ, quæ maxime horum injuriæ  
temporum debentur, contemptum status ecclesiastici invenisse, & principem  
locum tenere arbitramur. Ea quippe præcipue studiosæ juventutis indeoles est, &  
natura, ut præcoci quodam pruritu ad eum statum anhelet, quem magni præ  
reliquis fieri, colique conspexerit. Unde fit, ut optimæ spei adolescentes ex hor-  
rore tantæ vilipensionis, qua sacerdotium hodiendum vapulat, emenso philosophiæ  
curriculo ad alia pronius, quam sacra studia convolent.

Clerus quidem quia in sortem Domini vocatus, sicut & religio, quia malig-  
nis hominum appetitionibus contraria esse dignoscitur, suos semper osores, va-  
lentesque hostium patiebatur incursus; nunquam tamen, si incunabula Ecclesiæ  
excipimus, ardentius pro veritate, suique splendore fatigabatur, quam infantis  
hisco temporibus, ubi non solum, quidquid erat pravi ingenii, calliditatis, frau-  
dis, atque furoris, in ea oppugnanda impensum ingemiscimus, verum etiam in-  
valescente quadam effræni opinandi, scribendi libidine, profanis undique li-  
belculis obrutos nos esse dolemus, qui velut agmine facto in id conjurasse viden-  
tur,



tur, ut statum ecclesiasticum contemptui, ludibrioque hominum exponentes pro-  
verbium, & fabulam facerent.

His omnibus Clementissimus, ac Religiosissimus Imperans Franciscus II. in-  
ter assiduas regiminis Sui curas animum admovit, & data ad Episcopos Provin-  
ciarum Encyclica die 2da Aprilis 1802. ea omnia sapientissime lanicivit, quæ ad  
vindicandam ab injuria temporum sacræ religionis, atque ejus ministrorum  
auctoritatem, pristinumque splendorem restituendum, ac augendum exinde  
Clerum quoquo modo conferre possunt, ratus, religionem principem in po-  
litico societatis regimine sibi vindicare partem, ex eaque pendere pluri-  
mum tam totius Reipublicæ incolumitatem, quam singularum civium veram,  
ac stabilem felicitatem. Piissimam hanc Cæsaris mentem quoad potiora, quæ vos  
ttinent capita, jam litteris Nostris 21ma Julii ejusdem anni aperiuiimus.

Verum fateamur ingenue, nos quoque, aut aliquos certe nostrorum, sicut  
in canonicis visitationibus non sine magno animi mætore animadvertisimus, esse  
in percussione nostri primos, plurimumque conferre, cui ministerium, quod cœ-  
lestibus negotiis continetur, in oculis mundanorum vilescat. Huc autem potissi-  
mum pertinere judicantur:

- I. Studii ecclesiastici neglectus,
- II. Institutionis publicæ incuria,
- III. Doctrinæ, quæ prædicatori, diversitas,
- IV. Dispar publicæ devotionis forma,
- V. Quorundam vita, sanctitati vocationis non conformis, ac demum
- VI. Despecti veteris disciplinæ Canones.

Quæ licet paucos admodum de Clero affiant, muneris tamen, & statutus  
ecclesiastici contemptum pedentim promovent; dum quod vitio hominum con-  
tingit, in statum ipsum refundi consuevit. His ergo, ut opportune tempore vul-  
neri, dum adhuc remediabile est, medelam adferamus, officio Nostro pastorali  
compulsi sequentia statuimus, ac mandamus.

## I.

### De studii ecclesiastici neglectu:

§. 1.

Ac primum ad vos loquimur, novella germina curatorum; vos exhortamur  
affectione potius, quam potestate, qui in sortem Domini vocati primas vigilan-  
tiae

tiae Nostræ curas jure vobis merito vendicatis. Mementote, absolutis studiis theologicis de domate in agrum, de requie ad labores, de pertu ad spatiolum depravati sæculi mare vos commigrasse; idecirco satagit, ut non casus modo, sobrios & immaculatos vos servetis a sæculo, verum e ponte velut in vorticem proplicentes attendite, ne & qui vado, aut navigio contendunt, in profundum mergantur, & vos ipsi e ponte præcipites, quanto sublimiori, tanto graviori lapsu naufragium patiamini. Vos utique elegit Deus, posuitque, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: vos elegit velut lucem de tenebris, agnos de medio luporum, ut eatis, non ut mollem ducatis vitam, aut otio consummemini, sed veluti cæcorum duces, & languentium baculi infirma erigatis, disrupta consolatetis, depravata convertatis; vos posuit, ut fructum, non plausum, non aurum, aut argentum afferatis, sed uni Deo, qui cor intuetur, & videt in abscondito, placere, animasque lucrari studeatis.

### §. 2.

Verum dum a filiis Sion inclytis, messem Nobis abundantem promittimus; quid ab iis sperare licet, qui absolute studiorum curriculo lectionem, & omne studium ita negligunt, ut officio se suo abunde satisfecisse judicent, si horis canonice persolutis, missa celebrata, & exterioribus quibusdam status officiis obiter peractis, post adinventiones suas abeuntes, aut otio diffluant, aut mundi negotiis se implicant? Nonne non solum ea, quæ utut modica in scholis delibarunt, successu temporis memoria evanescunt, sed & ipse intellectus densis ignorantiae tenebris obducetur dicente Domino: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Osee. 4. 6.?

### §. 3.

Sed hæc, dum candor lucis ignoratur, exindeque obscura pro lucidis approbantur, interdum adhuc connivenda forent, nisi ex ejusmodi ignorantia sacerdotum, status quoque ecclesiasticus contemptui, ordo sacerdotalis dedecori, sacra ministeria vituperiis, ipsa religio vilipensioni, sanctissimaque mysteria profanationi, ac impiorum irrisioni exponerentur. Unde non immerito Deus olim conqueritus est: Speculatorum ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, -- ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt: --- & erit sicut hodie, sic & eras, & multo amplius. Isai. 56. 10. 11. 12.

### §. 4.

Quomodo enim labia sacerdotis custodient scientiam, nisi illam prius mente, & corde ruminaverit? quomodo veritati contradicentes arguet, nisi veritatem ipse norit? quomodo pastor gregem suum pascet, aut pater filiis panem franget, nisi ille ovibus de pascuis, & hic sibi de pane providerit? quomodo medicus

ægros sanabit, nisi morborum naturam, & medicinam perspectam habuerit? aut quomodo judex judicabit, nisi legem Domini meditetur die ac nocte? quomodo denique, exclamat S. Bernardus, ignorantia mater cunctorum errorum, excusari posset in eo, qui se magistrum infantium, & doctorem insipientium profitetur? ignorans utique ignorabitur, imo & multos ignorare faciet, & ignorari. Nunquid cæco cæcum ductante non ambo in foveam cadent?

## §. 5.

Dum autem de scientia animarum pastori necessaria loquimur, nequaquam falsi nominis scientiam, illam scilicet mundi scientiam intelligimus, quæ stultitia est apud Deum, quæque plus sapit, quam oportet sapere, de qua tam auditores, quam doctores reddituri sunt aliquando rationem; sed suavem illam sapientiam sapientiarum, supereminenter nimirum scientiam Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, quæ humilibus consentiens ad sobrietatem sapit, qua S. Paulus ex alto provisus non judicavit se aliquid scire, nisi Jesum, & hunc crucifixum, propter quem omnia detrimentum fecit, & arbitratus est ut sacerdota, ut Christum lucrifacaret.

## §. 6.

Hanc vero scientiam Sandorum præprimis vobis propinan facri libri novi, & veteris testamenti. Scrutamini scripturas, in his invenietis fidei dogmata, morum præcepta, & requiem animabus vestris: legite cum humilitate, & oratione; & erunt eloquia vestra tanquam gladius acutus, & dulciora super mel, & favum. Omnis enim scriptura docente Apostolo utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxiū est, hic damnatur: si utile est, sic invenitur; & cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit.

## §. 7.

Lectioni sacræ scripturæ accedant Ss. Patres, sacri illi, & undione pleni divinarum litterarum Interpretes; jungantur conciliarum decreta, quæ majorum nostrorum traditiones ad nos usque transmiserunt, ac probatissimorum Theologorum scripta, qui ex his genuinis purissimisque fontibus doctrinæ, & morum præcepta hauserunt.

## §. 8.

§. 8.

Quare vehementer optamus, ut quilibet Sacerdos Archidiceesis Nostræ sibi de Sacris Bibliis juxta Vulgatam editionem tam in latina quam vernacula lingua provideat, habeatque interpretem, qui aut universam Scripturam, aut partes aliquas, & difficiliora loca exposuit. Inter hos commendari meretur Calmet, du Hamel, Sacy, Alexander Natalis in Evangelia, & Epistolas.

§. 9.

Pro Theologia dogmatica sint: Gazzaniga, Bertieri, Contenson, Theologia mentis, & cordis.

§. 10.

Pro Theologia Morali: S. Gregorii Papæ Moralia: Besombes, Genetto, Antoine novissimæ Romanæ editionis.

§. 11.

Pro jure Canonico: Rieger, Pehem, Van Espen.

§. 12.

Pro instructione pastorali: Regulæ pastorales S. Gregorii Papæ: Monitio-nes, & instructiones S. Caroli Borromæi: Habert, praxis pœnitentiaæ.

§. 13.

Pro Catechetica instructione: Catechismus Romanus, Pouget, Fleury Cate-chismus historicus.

§. 14.

Inter Asceticos, quibus animarum Pastores pro sui, populique ædificatione operam navabunt, commendamus Confessionum libros S. Augustini, ejusdemque Soliloquia: S. Chrysostomi libros de Sacerdotio; Librum de imitatione Christi: opera omnia S. Francisci Salesii: Muratori, de vera devotione; Erkenntniß Christi: Abely Sacerdos Christianus.

§. 15



## §. 15.

Pro rituum norma teneat quilibet Rituale Labacense, quod ob defecum exemplarium ultimae editionis noviter emendatum suo tempore in lucem prodibit. Adsit quoque concilium Tridentinum, & Pontificale Romanum. A profanis autem, præfertim modernis Pseudo - politicis, tamquam a peste abhorreat, ne animum duplicitate, simulatione, aut hypocrisi corrumpat.

## §. 16.

His & aliis optimæ frugis libri superaddi possent quam plurimi; ait his contenti, neminem quoque obligare intendimus, ut sibi de omnibus provideat. Ex recensitis tamen unum saltem, ut de qualibet Theologiæ parte sibi quisque comparet, vehementer optamus, desuper etiam in canoniceis nostris visitationibus specialiter invigilaturi.

## §. 17.

Quia vero omnis profectus ex assidua lectione, vivacique meditatione proficit, ac lectio adhibita collatione majorem intelligentiam præbere ipsa experientia probatur, opportunum duximus, perutiles illas ecclesiasticas exercitationes ad venerabilis antiquitatis, & aliarum Dioceseon exemplum, in quibus hic mos jam diu laudabiliter viget, etiam in nostra Archidiœcesi ineunte anno introducere. Erit autem harum exercitationum hæc materia, hic ordo:

## §. 18.

Proponentur ab officio Nostro Archiepiscopali sub cuiuslibet anni principium materiæ anni decursu pertractandæ, ita, ut universæ Theologiæ cognoscenda ad eujusque captum, & intelligentian enubilentur.

## §. 19.

In his autem exercitationibus agetur præcipue de omnibus iis, quæ praxim, & animarum curam proprius afficiunt. Ac imprimis exponentur Christianæ religionis fundamenta, & fidei dogmata, vindicando illa adversus recentiores Pseudo-prophetas: secernendo accurate, quæ ad fidem, & religionis essentiam, aut ad exteriorem ejus disciplinam spèdent: commonstrando, quem nexus fidei dogmata cum fidelium moribus habeant: tradentur quoque & morum præcepta, offendendo viam, qua ratione ad praxim deducenda sint, quomodoque praxis cum theoria combinanda. His accident homileticæ interpretationes, exercitationes catecheticae, & questiones lyurgicæ.

## §. 20.

§. 20.

Ad quæstiones has propositas omnes Sacerdotes tam curati, quam non curati, in civitatibus, aut ruri degentes, exceptis Decanis, Parochis, aliisque jam senio confessis in scripto respondebunt: quas elucubrations intra annum cooperatorates suis respectivis Parochis, capellani locales vero, & Vicarii expositi, aliique Presbyteri suo Decano exhibebunt, qui accurate dijudicatas annexis etiam, si opus fuerit, animadversionibus, ante mensem Novembrem Officio Nostro Archiepiscopali consignabunt, ubi denuo rigidæ disquisitioni, ac judicio Consistorii Nostri subjicientur.

§. 21.

Elucubrations autem sint breves, claræ, & ex puris Scripturæ, Ss. Patrum, & conciliorum fontibus, ex monumentisque venerabilis antiquitatis simul, & supra recentis Auctoribus definitæ. Evitentur omnes inutiles subtilitates ad rem non pertinentes, novitatis amor, ac studium partium. In fine decisionis cuique dubia, vel occurrentes speciales casus proponere liberum esto.

§. 22.

Per has exercitationes ecclesiasticas vero nihil derogamus examinibus ex præscripto in concursibus generalibus omni semestri pro beneficiis curatis haberi solitis; quinimo quemlibet Sacerdotem beneficio stabili necdum provisum obligamus, ut post sex annos in cura animarum transactos irrequisitus se fisteretur.

## II.

### De publicæ instructionis incuria.

§. 1.

Ex damnabili studii ecclesiastici neglectu necessario quodam nexu promanare debuit publicæ instructionis incuria. Quosdam enim alia omnia ferventer, & cum gusto, sua vero aut cum tædio, & aversione agere, aut plane præcipuum hoc animarum pastoris officium negligere audimus; hos minus paratos ex cathedris pro sermone dicere miramur, illos fabulosis narrationibus verbum Dei profanare, alias denique auditoribus sermone in longum protracto fastidium patere, sibi vero, totique Clero despectum & vilipendionem creare ingemiscimus.

§. 2.



## §. 2.

Quapropter ad vos, animarum Christi fidelium Pastores, paterni cordis curas, cogitationesque denuo convertimus, obsecrantes misericordem Patrem & divitem Redemptorem, qui vocavit vos in sortem ministerii hujus, ut ejus implendi vobis virtutem tribuat. In partem solicitudinis Nostræ vocati vos quoque onus portatis, Angelicis humeris formidandum, dum munus Episcopale, & amplitudine sua grave, & temporum difficultate molestum pro parte vestra, officiique ratione cum Capite vestro sustinetis. Sponsores facti estis, dum pascendarum curam animarum suscepistis, defixistis apud extraneum manum vestram, quia Christus, cujus sunt animæ, amicus est in sponsione, sed erit extraneus in reddenda ratione. Pascite ergo illum, qui in vobis est, gregem Christi non coacte, sed spontanee: traditam vobis ejus pascendi legem adimplete corde magno, & animo volenti: prædictate verbum, instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia, & doctrina: quasi tuba exaltate vocem, & annunciate populo scelerâ, & peccata eorum. Non enim semper pascendi dominicas oves potestatem habebitis; sed æternam, si vestro tempore bene paveritis, percipietis coronam.

## §. 3.

Ut vero uberes prædicationis fructus colligatis, semina bonæ operationis præmittite; nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. In sermonibus ad populum, & sacris concionibus non moralia tantum, sed fidei quoque præcepta tradere satagit. Insipidus enim est omnis sermo, nisi divinorum eloquiorum sale conditatur. Reðe tractantibus verbum veritatis, quod Apostolus 2. Tim. 2. 15. monet, illud maxime cordi esse debet, ut dictione dogmatica, vel catechetico-morali auditorum suorum fidem firment ad recte credendum, & mores forment ad sobrie, iuste, pieque vivendum, omnis & prædicatio fit non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut credentium fides non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 1. Cor. 2. Ita divinis eloquiis corda vestra impletentes prius, quam exeratis proferentem linguam, ad Deum levate animam sicuti, ut ructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.

## §. 4.

Quem in finem vobis summopere commendamus Homiliarum usum, id est, brevem & planam Evangelii, aut Epistolæ occurrentis explanationem cum applicatione ad mores, quæ populi Christiani instruendi methodus est antiquissima, Sanctis Patribus familiarissima, & populorum captui accommodatissima.

## §. 5.

Ineptas, ac aniles fabulas ad mentem Apostoli devitate, quia omne, quod non

non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium. Cavete quoque a nimia sermonis prolixitate, quæ teste Santo Augustino intelligentia caret, spiritum audientium obruit, imo attentionem minuendo nauseam & acediam parit.

### §. 6.

Primus autem ad institutionem populi Dei, præsertim rudioris, gradus est, rudimenta fidei tradere, & parvulis potentibus panem frangere, ut eo enutriti crescant in salutem. De quo vos sèpius admonere erit præcipua semper pars sollicitudinis Nostræ. In opere enim tam salutari, quia nunquam potest satis esse, quod dicitur, nulla cautio nimia, nullaque cura superflua videri debet. Nam cum tota consuetudo vivendi sit ratio credendi, & ita plerumque vivatur, ut creditur, qua ratione recte vivent, qui formam recte vivendi salutari doctrina destituti non tenent? Exemplum igitur Domini, & salvatoris nostri, qui parvulos, quorum vocabulo credentes omnes per audienciam fidem nuncupantur, jussit venire ad se, præ oculis habentes, ac laudatissimorum Præfulum sanctitatem non minus quam doctrinam insignium vestigiis inherentes studium, ac sedulitatem vestram iterum excita mus, ut in tanto opere, quo Christi fidelibus ad salutis viam consulitur, fitis ferventes.

### §. 7.

Methodus, quam in rudibus hominibus Christiana doctrina erudiendis servare debeatis, Santo Augustino Libr. de catechizandis rudibus cap. 10. proficia præ ceteris ea videtur, qua post explanationem familiares instituantur interrogations, ex quibus compertum fiat, an, quæ quisque audivit, mente percepit, vel an potius iterata explanatione opus sit, ut alieno captui res subjiciatur.

### §. 8.

Ita vero omni die dominico, festisque de præcepto, etiam principalioribus pro majori eorum sanctificatione non exceptis, ad captum adulorum simul, & parvolorum doctrinam pertradabitis, ut omnes catechismi materias cum anni decursu absolvatis. Hanc vestram in tradendis fidei rudimentis sollicitudinem, & soleritatem, si finita catechesi, & recitatis Oo. Ss. litanis primum adultos, dein parvulos familiari colloquio super illis, quæ publice prolata sunt, tentare fatigatis, amplissimus ille fructus consequetur, ut fideles vestre curæ concreti & in fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces.

### §. 9.

Rebus ita comparatis quam facile vobis erit per semitas iustitiae Christianæ in viam salutis eorum gressus dirigere, quorum genua debilia jam ante per fidei doctri-



doctrinam roboraftis. Quod corde credunt ad justitiam, opere exercebunt ad salutem; & gaudebunt legis, quam didicerunt, factores esse, non auditores tantum. Id ut certius assequamini, examen paucaliter laudabiliter a nostris Praedecessoribus introducum, ubi omnes adulti ad dignam sacræ communionis paucalis sumptionem præparari consueverunt, annuatim omni diligentia iterare satagetis. In qua saluberrima planeque necessaria operatione, ut vestris conatibus optatus respondeat effetus, nec per alienam desidiam opera vestra reddatur frustranea, omnium animalium numerum in catalogum ad calcem hujus Nostræ ordinationis delineatum redigite, & earum statum notato singulorum nomine, cognomine, ortu, ætate, fidei, morum, & instructionis qualitate componite, & annis singulis posito recens natorum, ac de novo adventantium incremento, & mortuorum, ac decedentium decremente varietate, Sacramento Chrismatis signatorum, nec non confessionis, ac communionis capaciūm notas accurate distinguite.

### §. 10.

Ad examen hoc rite instituendum ordinamus, ut pro qualibet die certius numerus per hebdomadē examinandorum ex cathedra denuncietur; & quidem viri separati ab uxoribus, & pueri disjuncti a puellis, ne res eorum familiaris curanda ullo modo detrimentum patiatur. Praeprimis autem quisque tentetur in illis rudimentis fidei, quæ a theologis necessaria necessitate medii nuncupantur, sine quibus nemo salvari, aut digne Sacraenta percipere potest: apud eos quos hac in parte sat instructos repererint, descendant ad ea, quæ necessaria necessitate præcepti dici assolent, quæque obligationem status, cui quisque addic̄tus est, concernunt. Nec oberit interdum de illis periculum facere, quæ per anni decursum in pomeridianis catechesibus explanata fuerunt; hac quippe ratione Parochiani ad doctrinam, & instructiones catecheticas tēdo quoddam dolo capti frequentius comparere contendent, Pafiores vero eorum in clariorem cognitionem, quocum fructu prædictæ instructiones excipiuntur, se devenisse gaudebunt.

### §. 11.

Medum examinandi habeat quilibet placidum, & hilarem, ut pueros, & adultos ad attentionem alliciat, non avertat. Cum adultis non minus, quam cum parvulis discretus sit, ne plus exigat, quam ætas, sive habilitas admittit, abstinendo penitus a quæstionibus captiosis, aut ænigmatis: nullum ignorantem publice confundat, sed omnes in patientia & charitate instruat.

### §. 12.

Quia vero non pauca sunt adultis scitu necessaria, quæ parvuli iisdem mixti portare nondum possunt, hinc perutile erit pusillum hunc gregem, dum a pecorum custodia vacare dignoscitur, statutis intra hebdomadam diebus, & horis ad domum parochiale, aut si hyemis præcipue tempore aditus difficultior redditur, jam in hac, jam in illa vicinia prævia ex pulpito denunciatione ad destinatam do.

domum evocare, eisque quasi modo genitis lac doctrinæ Christianæ præbere; ex parvulis enim bene instructis, atque timoratis progerminabit societas omni virtutum genere ornata, populusque Sanctorum.

### §. 13.

Hoc autem ut & ordinè, & cum fructu ad effectum ducatur, proles in duas classes secernantur oportet, quarum hæc nondum confessas contineat, ut in primis fidei principiis, utpote memorie magis mandatis instruantur, illa vero jam confessas complectatur, ut in iis, quæ proprius ad dignam pœnitentiæ, & Eucharistia perceptionem spectant, commodius erudiri valeant.

### §. 14.

Quos promptiores, ac melius instructos adverteritis, hos ad alios palam instruendos designate, immo inducite, ut quæ in publico didicerint, vesperi domesticis exponant. Minuscula tamen, siquæ ad manus sint, non semper præstantioribus, quandoque etiam infirmioribus distribuite, ut simulos ad comparendum, & proficiendum addatis.

### §. 15.

Permittimus & laudamus quidem consuetudinem illam proles, dum ad pri-mam communionem admittuntur, brevi aliqua Parænœ ab altari alloquendi; sed hæc fieri diebus dominicis, ac festivis de præcepto non suademus; proles vero ipsa die in ecclesia tumultuarie examinari minus consultum judicamus, quia illinc præscriptus devotionis ordo turbatur, hinc vero recollectio mentis tum maxime in prolibus necessaria distrahitur.

## III.

### De doctrinæ, quæ prædicatur, diversitate.

### §. I.

Ad studii ecclesiastici neglegitum, & instructionis publicæ incuriam, quæ ad promovendam Cleri vilipensionem haud parum contribuisse vidimus, accedit doctrinæ, quæ prædicatur, diversitas; per hanc enim relictæ sensu veritatis lites generantur & schismata, a quibus fides subvertitur, veritas corrupitur, charitas





nitas scinditur, ipsaque recta doctrina ita evacuatur, ut plerique, maxime simplices, quorum mentes hoc contentionum studio in contraria sensa detortae sunt, his controversiis turbati animo hærent, cui fidem adhibere, aut quam partem sequi pro eorum salute consultius foret.

### §. 2.

Hæc vero doctrinæ dissimilitudines ex opinionum, quibus nonnulli missa Scripturarum doctrina, humanam rationem affectionem diversorum caligine obscuratam consulentes, addidi sunt, diversitate oritur. Quæ licet illius solum subsint iudicio, qui renes scrutatur, & corda, vigilantiae tamen Episcoporum, quibus depositum fidei commissum esse dignoscitur, quoad prædicationem, ejusdemque observationem subjiciuntur.

### §. 3.

Quare ne rudis plebecula, quæ diversos saepe nanciscitur pastores, stabili doctrinæ normæ assuefacta variis docendi modis turbetur, districte mandamus, ut ad mentem Ss. Conc. Trid. quemadmodum unus est Dominus, una fides, ita una sit tradendæ fidei, ac ad omnia pietatis officia populum Christianum erudiendi communis regula, atque præscriptio: ut idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata; sitis autem perfetti in eodem sensu, & in eadem sententia.

### §. 4.

Sancta sit vobis doctrina Ecclesiæ: quod semper, quod ubique, & ab omnibus traditum est, hoc tenete, hoc commissum vobis populum Dei docete, deviantes semper profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Id enim docente Tertulliano Dominicum, quod prius traditum, id vero extraneum, & falsum, quod posterius immisum. Non hominum figura, non scholarum systemata, quæ exortis diurnis, periculosisque litigiis Ecclesiam Dei devastarunt, sed sancta, & simplex doctrina Christi, & Apostolorum sit vobis norma docendi.

### §. 5.

Si etiam contingere, quemdam de fratribus vestris a veritatis tramite aberasse, liberationem ejus potius, quam insultationem, potiusque auxilia, quam convitia meditemini, & quantum facultas tribuit, suscipite: cavete etiam, ne quenquam, sive is major vobis sit, sive inferior, in suo munere fugilletis; sed si quem notaveritis defectum, memores præcepti Dominici dextere corrigite, vel personam suaviter, & secreto in omni mansuetudine monete; saepe enim fleti humilitas, quod nec virtus superare potuit, nec ratio. Si ab aliis notatum au-

dierit-

dieritis, pro *vestra* prudentia excusate. Cavete præterea, ne quemquam ( invidia suggerente ) apud Parochum, vel Decanum denigrantes odiosum reddatis, sed potius honore invicem prævenire, inferioribus non arroganter, sed paterne imperare, superioribus ex corde obedire contendite.

### §. 6.

Quod si aliquid in quopiam reprehensione dignum adverteritis, nec spes a fulgeat, Parochi reprehensionem, aut secretam correctionem effectum habituram, ad Ordinariatum Nostrum, vel Decanum potius sub secreto ( depurata tamen intentione ) rem deferte, ne apud loci Clerum odiosi fiant.

## IV.

### Dispar publicæ devotionis forma.

#### §. 1.

Præmemorata uniformitas quoque vel maxime necessaria commendari meretur, dum functiones sacræ peraguntur. Licet enim ista ad exteriorem Ecclesiæ disciplinam referri, indeque pro temporum circumstantiis mutationi subjacere videatur; ipsa tamen sic comparata conformitas divina peragendi adeo unitatem Ecclesiæ commendat, ut Sanctorum Patrum authoritate, Antistitutum decretis, imo & Summorum terræ Principum ordinationibus stabilita, ac roborata comprobetur.

#### §. 2.

Disparitas enim divinorum, seu devotiones illæ privata quadam, nunquam tamen probata autoritate in Ecclesiam introductæ, quas interdum aut superstitione alit, aut ( dolentes dicimus ) turpis quæstus fovet, hinc dissensiones, & schismata gregem inter, & pastorem parere, illinc obloquia, & diæteria in eos, qui præscriptio ordini se conformant, concitare, quinimo rudioribus dubium de pastoris orthodoxyia, quasi de fidei summa ageretur, ingerere consueverunt. Ex quo agendi modo contemptum status ecclesiastici, ejusque officiorum vilipensionem progerminasse vel ipsa experientia docemur.

#### §. 3.

Huic Ecclesiæ vulneri pro officii Nostri gravitate mederivolentes stabilem, fixum, que



que publicæ devotionis ordinem ad normam illius, qui a supra Aula jam anno 1787. præscriptus fuit, paucis tantum pro temporum circumstantiis mutatis, obtento desuper assensu supremi Provinciæ Regiminae pro Archidiæcesi Nostra statuimus, ut sequitur.

#### §. 4.

Omnibus Dominicis, & festis de præcepto diebus fiat in illis ecclesiis, ubi tantum unus Curatus residet, hora pro populi opportunitate statuta, missa parochialis dicta juxta conciliorum, & novissime Ss. Concilii Tridentini Sels. 23. de reform. C. 1. pro populo offerenda, sive dein curatus iste sit Parochus, sive Vicarius parochialis, sive Capellanus localis. Intra missam post Credo sit sermo, vel brevis explanatio Evangelii, aut Epistolæ ab altari, vel sacro suggetto.

#### §. 5.

Ubi autem duo, vel plures sacerdotes in eadem Parochia versantur, sub sacro matutino brevis instrudio catechetico moralis fiat; sub ipso autem sacro Parochiali ordinaria concio habeatur ad præscriptum concilii Tridentini Sels. 5. c. 2. docendo populos vobis commissos, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciendoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pñnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Porro hæ duæ missæ solempnes ejusmodi temporis intervallo distribuantur, ut qui mane custodes domorum extiterant, secundæ commode interesse queant.

#### §. 6.

Ut fidelium corda præcipue rudiorum magis ad pietatem inflamentur, sit inter Missarum solemnia cantus præscriptus; quem in finem musicam, ut dici solet, figuratam, gravem, modestam, atque loci sanctitatem dignam concedimus; ait levem illam, profanam, ruri passim haberi solitam, quæ adstantes magis distrahit, quam ædificat, ab ecclesiis prorsus eliminatam volumus.

#### §. 7.

In Dominicis Quatuor temporum, & Adventus, quemadmodum & in festis principalioribus exponatur sub sacro solemnissimum Eucharistæ Sacramentum. In quo eandem methodum observabitis, quæ ad mentem Ritus Romani præscribitur, ut videlicet non in expositione, sed in repositione populo benedictio detur.

#### §. 8.

## §. 8.

Ne vero præsentium attentio, fervorque in divinis conceptus, si tempus publicæ devotioni dicandum nimium protrahatur, tepeſcere incipiat, commemorationes illæ e ſacro ambone poſt sermonem ex paſto certi ſtipendii, indicatis largientium nominibus, & intentionibus recitari lovitæ, utpote Simoniam redolentes, atque genuinam de fructu precum ideam pervertentes, impoſterum intermittantur: quarum loco brevem commemorationem fieri ſuademuſ pro omnibus, qui ſe Eccleſiae precibus commendarunt: inſtruendo fideles vim precum, ac fructum earundem ab interna iſorum diſpoſitione, qua ſe benignitate, & miſericordia Dei dignos reddant, non a dato ſtipendio dependere.

## §. 9.

Ex ſacro ſuggeſtu nihil promulgetur, quod vel ab Officio Noftro Archiepifco-pali, vel a Cæſareo Regio circuli Capitaneatu hac appoſita clauſula: *Promulgetur ex cathedra: vobis non fuerit intimatum.*

## §. 10.

A meridie hora ſtatuta ad parvulorum, rudiunque iſtructionem catechesiſ instituatur, cui ſemper, ſicut & omni concioni ſubjiciantur virtutum theologicarum, & contritionis actus ad populi verba repententis faciliorem memoriam pronunciandi ſecundum formulas ordine primas in libro Evangeliorum recentioris editionis exiſtentes: quibus finitis, ac coram expoſito Venerabili Euchariftiæ Sacramento recitatibus Oo. Ss. Litaniis, adjedisque precibus de Ss. Sacramento, pro Auguſt. Imperante, atque pro averſione omnium malorum, quas tum in eodem Evangeliorum libro, tum in libellis litaniarum feorſim editis reperiſe eſt, persolutis benedicatur populo.

## §. 11.

Hoc loco, ubi de traſtandis in Eccleſia agimus, facere non poſſumus, quin de illis ſermonibus, qui in Sanctorum ſolemnitatibus nonnunquam proferri ſolent, aliquid dicamus. Scimus Sanctorum glorias ad hoc divino conſilio a Dei populis frequentari, ut & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla favente Christo monſtrentur. Hanc S. Chryſtoſtomi regulam ſibi propositam habeant ſacri Encomiaſtæ, ne unquam tumidos, & ab auditorum capacitate remotos conceptus improbo cum labore, nullo cum fructu conſequentur. Nam ut optimè ad propositum S. Ambroſius: major eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides, quæ Sanctorum merita non inaniter jaſtat, fed utiliter imitanda proponit. Magnificetur Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis suis; laudentur Sancti vafa miſericordiæ Dei; excitentur fideles ad leſtanda eorum veſtigia, ut Sanctorum vita fit iphis forma vivendi, ne imitari pigeat, quod celebraſte delecat. Vos ergo, dilectissimi, qui ſpirituaſes eſtiſ magiſtri, plebes vobis commiſſas inſtruite in ſpiritu veritatis, cultum, & invocationem Sanctorum nobis cordi eſſe debere, ut eos apud Deum mediatores nanciſcamur, qui quondam ſicut nos inſirmitate circumdati noverunt ſigmentum noſtrum, noverunt neceſſitatem:



tem: quique lubentes nobis succurrunt tanquam fratres, qui e fluctibus erepti, fratribus aliis adhuc periclitantibus auxiliatricem manum gaudent porrigerere, si invocentur. Cui ut optatus respondeat effectus, ardens desiderium nostrum vobis patefacere gestientes summopere commendamus, quatenus virtutes Sanctorum veritate sive evangelica, sive historica nixas ob oculos ponere, specialem præprimis erga Beatissimam Mariam Virginem, Matrem Savatoris, & Mediatoris nostri pietatem concipere, pieque, atque suppliciter ad eam confugere, ut nobis peccatoribus sua intercessione conciliaret Deum, bonaque tum ad hanc, tum ad æternam vitam necessaria impetraret, edocere; preces ab Ecclesia approbatas, præcipue Rosarium singulis saltem sabbathis, ac per vigiliis B. M. V. ejusque festis religiose recitare; aliis item piis exercitationibus vos, vestrosque continuo, & instanter in timore Dei continere nitamini, solidæ devotioni, & pietati ita consulentes, ut omnia, quæ aut superstitionem, aut antles fabulas redolere, aut ecclesiastica authoritate carere dignoscuntur, quam longissime a cultu sanctorum removentur.

#### §. 12.

Porro cum in Sacris visitationibus compererimus, quosdam ex curatis, qui sine adjtore resident, Dominicis, festisque de præcepto diebus catecheticas instructiones negligere sub prætextu, quod libi excursus peractionis causa ad filiales prædictis diebus ex præscripto faciendi difficilem præbeant statuta hora reditum, & domus Parochianorum per montana dispersæ importunum faciant ad ecclesiam parochialem accessum. Nos ejusmodi prætextum reprobantes serio præcipimus, ut præmemoratis diebus catecheses omnino instituantur: neve ullo modo culpæ, quæ sit, aut etiam fieri potest, si per absentiam ab ecclesia matrice Sacramentorum administratio emergente periculo in mora, aut præpeditur omnino, aut retardatur, patrocinia defensionis admittamus, omnem peractionis causa excusum Curato coadjutorem non habenti Dominicis, festisque diebus distice interdicimus, ac prohibemus.

#### §. 13.

In illis locis vero, ubi præter Parochium unus, aut plures cooperatores existunt, concedimus quidem in Patrocinio cuiusque filialis, si est festum de præcepto, aut in Dominicam cadit, quod secus in subsequentem transferatur, ibidem primam, aut si magis opportunum videretur, secundam missam solemnem cum sermone fieri; principalem tamen functionem semper in Ecclesia curata haberi decernimus.

#### §. 14.

Permittimus quoque in his Parochiis illis Dominicis festisque diebus, quibus juxta

juxta Parochiæ Matriculam jam ab immemoriali consuetudo obtinuit, missam cum sermone haberi; excipimus tamen festa principaliora per annum, videlicet:

Festum Circumcisionis D. N. J. C.

- Epiphaniæ Domini,
- Purificationis,
- Annuntiatæ,

Dom: Palmarum.

- Resurrectionis D. N. J. C.

Fer. 2dam Paschæ,

Fest: Ascensionis, D. N. J. C.

Dom: Pentecostes,

Fer. 2dam Pentecostes,

Fest: Corporis Christi,

Dom: infra Octavam Corporis Christi,

Fest: Ss. Apostolorum Petri, & Pauli,

- Assumptæ,
- Nativitatis B. M. V.

Dom: 3tiam Octobris, Dedicationis Oo. Ecclesiarum,

Fest: Omnium Sanctorum,

- Conceptionis B. M. V.

- S. Stephani Protomartyris,

Patrocinium Ecclesiæ parochialis.

### §. 15.

Idem observari indulgemus, ubi Parocho duo cooperatores adjuncti sunt, haec tamen subintellecta conditione, ut in parochiali Ecclesia semper duæ missæ solemnies cum dictione catechetico-morali fiant, & uni tantum facultas excurrendi tribuatur.

### §. 16.

Ut vero & illorum votis satisfiat, quibus tantum unus Curatorum præcessit, concedimus cooperatoribus Ecclesiæ matricis ad filiales, quæ neo-ereditæ Parochiæ, Vicariatui, aut Capellaniæ locali adscriptæ sunt, diebus supra nominatis excurrere, quin tamen per hoc devotioni in Ecclesia matrice quidquam derogetur.

### §. 17.

Aliis vero festis diebus omnem excursionem pro libitu facere, aut ibidem missam absque sermone celebrare omnibus sacerdotibus sive curatis, sive non curatis severè interdicimus, injungendo rectoribus ecclesiarum, ut sacra illa, quæ in Dow-

mini-



minicis, festisque peragenda signantur, quantum fieri potest, in dies non festos transferantur. Ne vero populus eapropter stipulata tribuere recuset, placide edoceatur, haec non ut missæ stipendia sed pro bona fide sacerdotis sustentatione præberi.

### §. 18.

Allii Sacerdotes in Parochia degentes diebus Dominicis, & festis hora ipsis a Parocho statuta missam absque campanæ pulsu in parochiali Ecclesia celebrent: sacrificis etiam functionibus, publicis precibus, & processionibus intervenire, fidelium confessiones exaudire, & Parochum pro viribus adjuvare non renitantur, sed ejus, cooperatorumque vicibus supplendis se promptos exhibeant.

### §. 19.

Adsit in sacrificia liber, in quo, dum sacrum fundatum peragendum occurrit, annus, mensis, dies, nomenque sacerdotis illud peragentis propria manu adnotetur: serventur etiam ibidem libri baptizatorum, mortuorum, & matrimonio junctorum, quorum, sicut & patrinorum, testiumque nomina accurate inscribantur.

### §. 20.

Publicæ, sacræque processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquo instituto Ecclesia catholica in Litaniis majoribus in festo S. Marci, & in minoribus Rogationum triduo, & in die festo Corporis Christi, aut ubi hac die fieri non potuit, in Dominica infra Octavam, ut consuevit, ea modestia, ac reverentia celebrentur, quæ piis, ac religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur: reliquas vero tanquam extraordinarias, ut quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis aut emergente aliqua populi calamitate in dies inducuntur, absque speciali Officii Nostri facultate, aut in distantioribus a residentia Nostra locis sine Decani assensu, cuius prudentiæ, & discretioni decidendum relinquitur, institui prohibemus; prius tamen, antequam facultate Officii Nostri, aut assensu Decani utamini, per tres ad minimum dies coram Sandissimo publicæ adoratio eum in finem exponendo preces ordinari mandamus.

### §. 21.

Hæ autem omnes processiones semper ab Ecclesia parochiali ad filialem proprius adjacentem, & nunquam ultra Parochiæ limites insituantur: ubi vero præter principalem ecclesiam nulla alia existit, processio ab ecclesia per semihoræ viam facta ad hanc iterum revertatur.

### §. 22.

## §. 22.

Pro his ecclesiasticis functionibus autem sacerdotibus quibuscumque mercedem aliquam sive fatigii, sive itineris causa, aut quocunque alio titulo prætendere vetamus; quia docente Apostolo Hebr. 5. 1. omnis Pontifex ex hominibus assumpsitus pro hominibus constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.

## §. 23.

Expositionem Sanctissimi, quæ hucusque in Dominicis quatuor temporum fiebat, imposterum (exceptis civitatibus, & majoribus pagis) vel exinde intermittendam ducimus, quod præter horas ad publicam devotionem destinatas vix sufficiens populus pro decenti adoratione adesse credatur: hujus autem loco per octavam Corporis Christi intra missam, ad quam ex antiqua observatione copiofiorem populum confluere scimus, præmemoratam expositionem ad recolendam hujus Sanctissimi Sacramenti memoriam determinamus.

## §. 24.

Sacrum sepulchrum Salvatoris Nostri Jesu Christi, ad quod fer: 5ta, 6ta & Sabbatho majoris hebdomadæ Sanctissimum reponitur, remoto omni theatraali apparatu, juxta exemplar die 26ta Septembbris 1798. præscriptum, fidelium oculis repræsentetur.

## §. 25.

Ad recolendam vero memoriam Resurrectionis D. N J. C. in Sabbatho Sancto ante solis occasum, cantato matutino intonetur *Alleluja* coram altari, ubi Sanctissimum repositum erat, dein translato ad altare majus Venerabili fiat *Te Deum*, & benedictio.

## §. 26.

Candellas arundini circumpositas, in lingua nostrate (*Stavnize*) vocitari soletas erigere haud absonum judicamus, sed solemnem illum apparatum, & musorum concentum, quo in quibusdam locis introduc[t]io in ecclesiam fieri narratur, tanquam vanitatem, & fastum Pharisæorum, qui dum eleemosynam faciunt, tuba ante se canunt, ut honorificentur ab hominibus, reprobamus, & abolitum volumus.



## §. 27.

Hic quoque, ubi stabilem, fixumque publicæ devotionis ordinem præscribimus, cordibus vestris insculpere gestimus, quatenus in ecclesiis, ad quas populus peregrinationis gratia confluere consuevit, non aliæ, quam a Nobis ordinatæ devotiones statuto tempore habeantur; utque fructus optatus e concionibus referatur, auditorum capacitatì adaptentur seclusis omnibus miraculis, ac revelationibus, quæ ecclesiæ judicio probata non inveniuntur: commendamus quoque vigilantiæ vestræ, ut hac temporum iniquitate fores ecclesiæ, dum vespera scit, occludi curetis, neque ulli peregrinorum accessus ad pernoctandum ibidem patescat.

## §. 28.

Quamvis pulsum campanarum, quo in Sabbathis, & vigiliis Sandorum de præcepto subsequens festum populo ruri disperso indicitur, ratum habeamus, illam tamen immoderatam campanarum strepitatem, ac tormentorum explosionem tempore tempestatis exorituræ, cui hinc inde plebecula ad superstitionem usque addicta reperitur, severissime interdicimus, ferio mandantes, ut imminente tempestate brevi tantum pulsu minimæ campanæ ad instar pulsus ad Ave Maria populus ad preces pro avertendo fulgure, & noxia tempestate fundendas admoneatur.

## §. 29.

Sacras cæremonias ab Ecclesia certis per annum diebus ordinatas, ut in die Purificationis, feria quarta cinerum, Dominica palmarum, in majori hebdomada, & sabbatho Pentecostes ad præscriptum Missalis Romani, qua par est, religione observari præcipimus; continent enim magna, ac divina mysteria, & salutares christianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur; de quibus fideles vestræ curæ concreditos præmonere, & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium esse vos nosse minime dubitamus. Alias vero cujus, cunque generis devotiones, Processiones, circuitus, quatuor initia, & benedictiones, quæ in Missali, & Rituali Romano, aut in hac publicæ devotionis norma per Nos specialiter congregata non comprehenduntur, hisce penitus abrogamus, & inhibemus. Quocirca Parochiarum Matriculis, utpote autoritate legali desitutis, sicubi huic a Nobis præscripto ordini contrarie inveniuntur, omnem vim obligandi adimimus injungentes Parochis Archidiœcesis Nostræ, ut novas pro Parochiis suis matriculas seu devotionis directoria ad præscriptum præmemorati ordinis quantocuyus adorment, atque unacum antiquis matriculis approbationi Officii Nostræ Archiepiscopalis subjiciant.

## §. 30.

Cumque in Ecclesia Dei nihil sanctius, & utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacraenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta; quivis vestrum, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, & omni fere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere. Quapropter illud perpetuo curabitis, ut non solum integre, casta, pieque vitam agatis, sed etiam ad ea sancte, & religiose administranda vos omni pietate, ueste talari semper induiti pareatis in tot mysteriorum, quae ibidem latent, meditatione toto animo defixi. In his, aliisque divinorum obeundis, ab erroribus vel levissimis cavete, quæque de his pie, rite defungendis praescripta sunt, studiosissime servate, ut fidelium mentes, dum in oculis, vultu, ac toto corporis habitu nonnisi devotionem, reverentiam, ac maiestatem cernui venerantur, per haec visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitentur. Nihil in gestibus, in incessu, ac voce appareat, quod non maxime gravitatem, modestiam, sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, animosque adstantium in Deum erigit.

## §. 31.

Postremo Domus Dei decorem omnibus ecclesiarum rectoribus plurimum commendamus. Nitida sint, si pretiosa non possunt esse, quæ ad divinæ majestatis cultum pertinent, corporalia, & purificatoria, mundissima. Species Sacramentales singulis mensibus binis ad minus vicibus renoventur, & toties ciborium abstumptis prioribus particulis, & micis in fundo hærentibus purificetur. In altaribus crucis effigies ex praescripto sanctæ recordationis Benedicti XIV. non parva, & minutula, sed majore forma ita inter candelabra collocetur, ut paulisper promineat, & tam a sacerdote, quam adstantibus missæ sacrificio cum pio erga passionem Dominicam affectu spectari possit.

## §. 32.

Monumenta illa juxta vias eræta, quæ plerumque imaginem Crucifixi, vel alicujus Sancti repræsentant, si deformia, aut obsoleta sint, aut removeri, aut decenter restaurari curate, ut intentus ex imaginibus fructus percipiatur.

## V.

## De vita sanctitati vocationis non conformi.

## §. 1.

Quemamodum tunc maxime ab Apostolicis viris ministerii sui dignitas honori-



rificatur, & ministri secundum Apostoli dictum fideles inveniuntur, dum muneri suo, quod suscepérunt, intenti illud sanctæ conversationis exemplo, & impigræ operationis studio implere in finem usque contendunt, speciosis evangelizantium pedibus cursum suum identidem prosequentes, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes ibi incident in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint voluntatem. Ita quotidianis experimentis docemur, quantum ex minus probatis nonnullorum ministrorum exemplis accrescere soleat, & religioni præjudicium, & sacerdotali honori dispendium, dum eorum ministerium plerumque despicitur, quorum vita damnatur.

### §. 2.

In quorum primo punto, quia plurimorum confratrum excellit devotio, quorum fôlers pro grege Christi vigilancia maxima ex parte perfectum jam probat, quod sermo noster suggerere posset faciendum, eo duntaxat quoad alterum punctum pastoralis Nostræ allocutionis monita dirigimus, ut si qui sint, in quorum aëribus quidpiam a sancta vocatione diversum reperitur, imposterum seminient hominibus bonum per aperta opera exemplum. Vos vestri Pastoris verba reverenter hac in parte excipite, obedienter custodite, ut ex comuni profectu crescat tam gloria vestra, quam consolatio Nostra.

### §. 3.

Apostolus Paulus 2. Tim. II. 15. unius institutione animos omnium, qui eandem pari fine, licet impari gradu quovis tempore ingressuri sunt viam, sacris instruens disciplinis inter cætera præcipit: *Solicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Quo quid aliud vas electio-  
nis, nisi formam, quam imitemur ex premissis, ut ad hanc, in qua Domino ministramus, sortem proiecti studeamus sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper solicite curantes, ut in nobis esset ea mentis integritas, quæ tanto muneri non minus adderet splendoris, quam ab eo reciperet dignitatis: summus nempe ardor fidei, condita sale Apostolico modestia, ut ipsa externa con-  
poris species indicium esset mentis, figura probitatis, nosque ipsos in omni con-  
versatione probabiles exhiberemus Deo, operarios inconfusibiles, recte tractan-  
tes verbum veritatis, ne cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi efficeremur.

### §. 4.

Atque hoc est illud, quod a suis ministris præcipue exigit Deus, ut sermo-  
nes vitæ, & vitam sermonibus conformarent. Nihil ecclesiastico ministerio in-  
dignius, quam aliud exprimere verbis, aliud factis ostendere, & aërum vitæ a  
sono linguæ discrepare. Præclare ad propositum S. Hieronymus: *Sacerdotis Chri-*

Si os, inquit, mens, manusque concordent, exprimant opere, quod ore proficitur, per cuius ministerium dat Deus fidei incrementum. Probata quippe vita, & ab omni tum privata labe, tum publica offensione pura conversatio, quemadmodum operarium apud Deum innoxium, ita apud homines facit omnis confusione exortem, probabilem Deo, ut Apostolus loquitur, operarium inconsuibilem.

### §. 5.

Quapropter obsecramus vos in Domino: exemplum estote fidelibus in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Ad nos dirigitur illud: *Vos estis sal terrae, lux mundi.* Quid nitidius luce? Quid purius esse deberet sacerdote? Manum illam, quæ Christi carnem tractat: os illud, quod spirituali igne repletur: linguam, quæ tremendo nimis Sanguine rubescit, quo non solari radio puriore esse oporteret, inquit Chrysostomus? *Vos estis lux mundi.* Lux non inficitur luto, aut terrena corruptione, licet per terram transeat: sic nec sacerdos infectionem debet contrahere, licet cum hominibus pravis, & luteis debeat conversari. Lux viantibus iter præmonstrat, ita debet Pastor deviantibus. Sine luce omnia in tenebris, & cæca caligine jacent, & quodam frigore constricta languescunt: ita sine bona, & lucida Pastorum vita, mundus vivit in tenebris errorum, ignorantie, & flagitorum frigescente fide, & charitate. Vos quoque estis *sal terræ;* quia montes fidelium sapore vestro salire, & condire debetis, & a putredine vitiorum protegere. Sed si sal infatuatum fuerit, mittitur foras: si vita vestra corrumpatur, vel aqua carnalis concupiscentiae, & pravis humoribus superbiæ, & avaritiæ, vilipenditur, & velut sal infatuatum proteritur, quia nec honor sacerdotio debitus exhibitur. Sal ergo, imo Christi bonus odor sumus in omni loco; omnia nostra opera, conversatio, & vita cælestem redoleant gratiam ita, ut nihil sit in actu inverecundum, in gestu immodestum, in verbis proçax, in incessu turgidum, in sermone obscenum, sed sit semper sermo gratiae sale conditus. Hac forma vivendi fulgebit per vos Ecclesia, & dilatabitur a mari usque ad mare, usque ad terminos orbis terrarum; fient quoque prava in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.

### §. 6.

Cæterum non postrema vestra cura sit, ut familiam vestram habeatis compitam, ne si quempiam argueritis, redarguamini in proprio: suspectam inter domesticos personam aut corrigite, aut pellite, ut omnem a vobis suspicionem amoveatis.

### §. 7.

Cum sexu altero, aut nunquam, aut nonisi necessitatis causa sermonem habete,



bete, & in Dominō fæminas omnes aut æqualiter diligite, aut æqualiter ignorete, nec a meridie, aut vespere otii fallendi causa ad quamque accedite, minus primum in ejus gratia locum appetite, aut favorem querite. Confessiones illarum nunquam domi, vel etiam in Ecclesia extra sedem confessionalem, vel genuflexas e conspectu sedis vestræ, sed a latere poenitentis, & nonnisi crate interposita expelite: Decret. Visit. Apost. sub. S. Carolo Borromæo.

### §. 8.

In Sacramentorum administratione præsertim pænitentiæ operam vestram nullo tempore, nulla occasione desiderari finite, sicutque hac in parte reconciliationis sacramentalis fædus a Christo Domino constitutum tueamini, ut nec pronam vestram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent vestram quasi duram crudelitatem. Errantibus, ut in viam possint redire iustitiæ, nec debet censura, quæ increpet, nec doctrina, quæ instruat, nec medicina, quæ sanet. Confessiones tamen ad seram usque noctem protrahere, præsertim luminibus non accensis serio interdicimus, ac vetamus. Confessionale autem sit in inferiori parte ecclesiæ loco aperto, atque conspicuo in omnium oculis collocatum, ut & confessorius, & confitens possit ab unoquoque facile conspicere. Decret. Visit. Apost. sub S. Carolo Borromæo.

### §. 9.

Sicut inhærentes antiquis conciliorum præsertim Laodicenis can. 54. Carthaginensis, Lateranensis sub Innocentio III. & Tridentini sess. 22. de ref. c. 1. & sess. 24. de ref. c. 12. decretis, & Prædecessorum Nostrorum statutis, omnibus, qui per Clericalem tonsuram in hæreditatem Domini vocati sunt, pro ea, qua pollemus, authoritate mandamus, ut a spectaculis publicis, commissationibus, choreis, iudis, ac quibusunque criminibus, ubi plerumque voluptuosa libertas, religionis despectus, aliaque id genus vitia triumphare solent, abstineant; ita quoque Annarum curator, qui baptizmi Sacramentum infanti ministravit, ad convivium ne accedit, quod in cibis parentum infantis recentis baptizati ob id paratum fuerit. Nuptialibus præterea epulis, que sponsorum, quos conjunxerit, quibusve benedixerit, nomine parentur, ne interfici, si in eis luxus, chorea, saltationesve agenda sint, aut amatorii vel lascivi cantus canendi: S. Carolus Borrom. Syn. diœces. III. Decret. 13. Nevero ut patrini baptizatorum his epulis interveniendi ansam habeant, ad mentem plurimorum Conciliorum, præsertim Aquensis de Anno 1585. & secundæ Synodi S. Caroli Borrom. Decret. 17. prohibemus, ne adhibetur compater, sive patrinus Regularis aliquis, nec Clericus secularis sacris initiatus aut beneficium obtinens.

### §. 10.

Ab omni pecuniae affectu cor liberum servate, ne avaritiae laqueis pedentim

tentim irretiti, charitatem Dei, & proximi prorsus amittatis; noveritisque, teste Ecclesiastico, *Nihil esse iniquius, quam amare pecuniam: hic enim est animum suam venalem habet.* Usuras quoque, & foenera execremini, ut quæ jam concilium Nicænum C. 7. in Episcopo, Presbytero, Diacono, & quocunque Clerico damnavit: Quoniam, inquit, multi avaritiam, & turpia lucra seellantur, obliti divine Scripturæ glorificantis eum, qui pecuniam suam non dedit ad usuram.

§. 11.

Hinc ad proventus vestros non plus, quam olim statutum, aut quod per leges summi terræ Principis definitum sit, exigite; imo & ea, quæ vobis jure debentur, non vi, aut minis, praesertim a pauperioribus extorquete: sed si quæ ab eis exigenda habeatis, modeste, ac suaviter postulate, vel potius per alios exige facite iudicio nunquam contendentes.

§. 12.

Abusus illos per missarum stipendia a nonnullis introductos, qui aut iisdem se se nimium onerando, aut plus quam a Nobis praescriptum sit, exigendo, aut quod memorare de sacerdotibus erubescimus, ad alienas dioceses, imo & ultra Austriacos limites eadem, retenta quadem stipendi parte ablegando se, statumque suum dissimant; aliaque hujusmodi, quæ a labe simoniaca, vel certe turpi quæstiu non longe absunt, sub severissimis pænis prohibemus: sub qua prohibitione etiam omnis generis negotiationem, praecipue educationem vini tam domi, quam extra domum comprehendi hisce declaramus. Nemo enim militans Deo implicat se negotiis secularibus.

§. 13.

Obsecramus vos quoque per viscera misericordiae Dei nostri, ut Sacramenti confirmationis, quod propter insignem eminentiam suam solius Episcopi manibus reservatum est, singularem existimationem in fidelium animis identidem excitetis. Ejus rite suscipiendo methodum cum magna patientia docete parvulos, ubi ad septennem ætatem pervenerint, quo ad praefantissimum hoc cœli donum ubere cum fructu recipiendum præparentur. Sane si eosque illos instituere distuleritis, dum sacrosanda propemodum unctione donandi sunt, vestra tunc culpa, maximoque malo eveniet, ut & in ipsos Divinum hoc beneficium frustra collatum esse videatur, & Nos raro admodum ea, qua oporteret, plenitudine, hac officii Nostri parte gravissima defungamur. Cavete igitur (utimur energicis verbis S. Pii V. in suo catechismo Romano) cavete maxime, ne in hac re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua par vos negligentia impostrum committatur.

D

§. 14.



## §. 14.

Ad infirmos dum avocamimi, non sit vobis vanum mane surgere ante lumen, aut noctem insomnem ducere, ac sine personarum acceptione ad omnes ex motivo sinceræ, non affectatæ charitatis currere. Infirnum convenientes, auditio morbi statu suavibus verbis ad infirmitatem a paterna Dei manu cum omnimoda in Divinum beneplacitum resignatione acceptandam hortemini, suadentes, ut hilari eam animo sufferat, nec tanquam pænam, sed velut opportunam satisfaciendi, aut meritum augendi occasionem respiciat. Sic excitatum ad tolerantiam infirnum, ad sacramentalem quoque confessionem pedetentim disponite, ut sublata malorum origine, seu culpa, infirmus ad salutem etiam corporis a Deo impetrandum, & per patientiam adponendum de condigno meritum disponatur. E morbi violentia imminens mortis periculum conjicientes, sacrum pariter viaticum, ac extremam undionem infirmo prævie disposito administrate, eumque ad mortem sereno animo suscipiendam disponite, & excitate.

## §. 15.

Sed oportet etiam infirnum Sacramentis provisum saepius visitare, ut illi solatum aliquod spirituale adferatis; hortemini eum ad subjectionem divinæ voluntati, ad patientiam, ad confidentiam in Deum, sive ei ad æternitatis portum aditum præparetis; quare in Domino obsecramus & hortamur vos omnes, qui in vinea Domini laboratis, ut infirmos parochiæ assidue, magna cum charitate, & patientia visitetis. Est enim, ut omnes noveritis, infirmi leetus, uberrimus campus spiritualis messis.

## §. 16.

In hoc ergo charitatis exercitio assidue versemisi, ut dum Parochianorum aliquis in civitate, oppido, pago, & viciniori loco graviter decubuit, tametsi Sacramentis jam sit munitus, vestro sicut semper indiget, ita nunquam desistuntur subsidio. In locis paulo remotioribus substituantur personæ piæ, & ad hoc munus idoneæ, prævie a vobis instrudæ, quæ sacerdotum vicem suppleant, & luctantes in supremo agone animas piis prectionibus, ac præcipue virtutum theologicarum, ac contritionis, plenæque in Divinam voluntatem resignationis actibus ad suum terminum promoveant. Erit hoc Christi fidelibus summe proficuum, & salutare, ac vestra, qui ad cælestem patriam aliis duces estis, & esse debetis, mente, et charitate plane dignum.

## VI.

## Despecti veteris Ecclesiæ Canones.

## §. 1.

Ex his, quæ hucusque scientibus legem, & legis se debitores profitentibus de pastorali officio breviter locuti sumus, omnibus colligere licet, cuncta hæc nequaquam ab iis præstari, & impleri posse, qui gregi suo mercenariorum more non invigilant, neque assistunt, sed continuam cum assidua vigilantia pastorum præsentiam necessariam esse. Quapropter innovantes decreta Ss. Concilii Tridentini sess. 6. de ref. C. 2. & sess. 23. de ref. C. 1. quemadmodum & ordinationes Nostras, & Prædecessorum Nostrorum admonemus, & hortamur omnes Decanos, Parochos, omnemque Clerum curatum, ut divinorum præceptorum mores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant, utpote obligati ad personalem in ecclesia sua residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque sine gravi causa abesse possint, nisi obtenta prius superiorum licentia. Et quidem Parochi, Vicarii parochiales, & capellani locales hanc a Decano, cooperatores vero, ac reliqui curati officio additi a suis respectivis Parochis exquirant. Si quis autem ob urgentem aliquam necessitatem ultra hebdomadam, aut per diem festum loco abesse, aut gravium negotiorum caufa extra Diœcесim commigrare compellatur, causis Officio Nostro Archiepiscopali exponendis licentiam præstoletur. Demum desiderium, ac voluntatem nostram omnibus, & singulis declarantes injungimus, ut quotiescumque eos Labacum, tanquam locum Residentiæ Nostræ adventare contigerit, coram Officio Archiepiscopali se sistere non intermittent.

## §. 2.

Dum quempiam curatorum ad alium locum transferri contigerit, intra officium a die percepti decreti ad destinatum sibi locum sine ulla renitentia, aut tergiversatione transire volumus; diutius commoranti exercitium muneris facerdotalis interditum declarantes.

## §. 3.

Sacerdoti, vel Clerico hujus Archidiœcesis in animarum cura non constituto, vel ab aliena Diœcесi adventanti facultas missas celebrandi, vel concionandi, aut fidelium confessiones excipiendi a Parochis non concedatur, nisi approbationis litteras ab Officio Nostro obtentas exhibuerit.

## §. 4.

Quoniam ad collapsam Cleri disciplinam renovandam, mutuamque animorum charitatem in unione Spiritus Sancti fovendam, communem Cleri habitacionem, & viatum plurimum conferre quotidiana experientia docemur, Nos Ss. Patrum institutis, conciliorum decretis, & ecclesiarum Antifluitum, præcipue Ss. Augustini, & Caroli Borromæi cum suo Clero in communi vicitantum exemplis inhaerentes, & ordinationi ddo. 16. Oct. 1802. novissime emanatae, qua summus Noster Imperans sapientissimo decreto aulico idem in effectum deduci urgere dignatur, ex animo obsequentes, omnes quantum possumus, hortamur, & obsecramus, ut piam hanc, & laudabilem Cæsaris voluntatem quantocuyus executioni mandantes, etiam in iis Parochiis, ubi cooperatoribus de viatu in Parochi redditibus ex majorum, aut fundatorum pietate provisum non est, imposterum eadem mensa, & frugali viatu cum cooperatoribus vestris utamini.

## §. 5.

Tandem morum disciplinæ etiam vestitus respondeat, qui sit decens, & sacerdotali statui congruus, nec vilitate nimia, aut forde contemptum sæcularibus inducens, nec notabili superfluitate vanitatem sapiens, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendatis. Collaria gestantes de insignibus status clericalis non erubescite, corona scilicet seu tonsura. Profecto cum haec indicet consortium regiae dignitatis cum Christo, cuius per sacerdotium jam participatio donatur, nunquam illius decet oblivisci, quin potius continuo stimulus esse debet, ut regio, & excuso animo infima haec despicientes ad æternum regnum adspiretis.

## §. 6.

Sed quid possunt etiam sapientissimæ leges, si ab iis, pro quorum utilitate gravissima cum consultatione conditæ sunt, fidelí, ac debita custodia non obseruentur? Hierarchicus ordo a Deo in Ecclesia constitutus, quo inferior superiori subjicitur; votum, quod in Sacra ordinatione in manus Episcopi depositum; & antiquissimæ Ecclesiæ sancta frigidissimam a vobis exigunt obedientiam, & subjectionem: Nosque eo vel magis hanc jure postulamus, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiæ Dei, tanquam rationem reddituros pro animalibus vestris: curate igitur omni solicitudine, ut & cum gaudio hoc faciamus, non gementes. Inferioribus quoque Præpositis, Decanis, & Parochis, qui in partem pastoralis sollicitudinis Nostre vocati sunt, impensa vobis charitatis dignationem, venerationis, & obedientiae obsequiis compensate: quibus inter cætera munera, præcipue non solum prælucere verbo, & exemplo, sed & sedulo invigilare injungimus, ut statuta haec, tanquam inviolabiles Diceesis Nostre constitutiones a Clero eisdem subiecto accurate, & ad amissim obseruentur: ut que aberrantes bis terve debitæ suæ obligationis in Domino admoneant, protervos

vos vero Officio Nostro Archiepiscopali denuncient, quatenus in eos, quos ut legum ecclesiasticarum transgressores, ac potestatis Nostræ contemptores agnoverimus, ad avertenda majora mala pœnis pro gravitate prævaricationis competentibus animadvertere ex debito pastoralis officii valeamus.

§. 7.

Speramus autem, & in Domino confidimus fore, ut necesse non sit bis pungere non recalcitrantes, aut per se satis erubescentes confundere amplius, quibus sua ipsorum ratio magister est, & propria conscientia virga, ac ingemina-  
ta verecundia lex disciplinæ. Hinc ad ea, quæ hucusque prolixius innuimus,  
breviter recapitulanda digredimur.

§. 8.

Imprimis confratres charissimi, parochianorum vestrorum fidem, & mores  
expertos habete, superstitiones, vanas obseruantias, odia, inimicitias, & quid-  
quid sanæ doctrinæ adverfatur, de medio tollite. Eorum dicta, & facta, qui ex  
haereticorum finibus veniunt, diligenter observate. Publicos peccatores, corrup-  
tores aliorum, concubinarios, adulteros, usurarios, blasphemos vel ipsi ad rectam  
viam reducite, vel ad superiores vestros pro remedio recurrite. Modestiam, &  
verecundiam Christianam in verbis, vestimentis, conversationibus pro viribus re-  
stituite, & scandalis hujusmodi sublatis promovete. Solerti in prædicatione verbi  
Dei ministerio, & vigilanti pro vestris parochianis in viam salutis dirigendi soli-  
citudini incorruptos vitae mores adjungite, facti forma gregis ex animo, memo-  
ria retinentes illud Apostoli: Ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobis ef-  
ficiar. Ad fovendam pietatem quotidie mane sacræ meditationi, & vespere conscienc-  
tiæ examini unum saltem hora quadrantem impendite. In administratione Sacra-  
mentorum vestram operam nunquam desiderari sinit. Dominicis, festisque diebus in  
sacro tribunali tempestive adfertote, & pœnitentium expectationem vestra sedulitate  
prævenite. Cum magno spiritus fervore, & cautissima circumspectione mini-  
sterium istud obite peritorum medicorum more vel emplastrum, vel cauterium  
ad sanandas morbidorum plagas adhibendo. Infirmos, & male habentes sœpe  
invirate, eisque Ecclesiæ Sacramentis præmunitis in extremo agone ludantibus  
vigilanter affilite. Pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam pater-  
nam gerite, Ecclesiæ, Regni, Principis terræ, optimatum, vestras, vobisque  
subiectorum necessitates in Ss. missæ sacrificio, precibus, & orationibus Domi-  
no commendate. Sit quotidie in manibus vel divinarum Scripturarum, vel utilium  
ad vestram culturam librorum lectio, in sensibus pia cogitatio, oratio jugis non  
cesset, salutaris operatio perseveret. Luceat in conversatione humilitas, in fide  
stabilitas, in ecclesiastico ministerio gravitas, in verbis modestia, in factis justi-  
tiæ, in adversitate patientia, in operibus misericordia, in moribus disciplina.  
Hæc si vobiscum adfuerint, & superaverint, non vacuos, nec sine fructu vos  
constituent in Domini Nostri JESU Christi cognitione, & munera vestri execu-  
tione.



tione. Cito pervios habebit animos operatio spiritualis, quos paternæ flexerit fervor charitatis, eruntque semper per gratiam Lei albi ad messem campi, si parati fuerint ad metendum operari. Hæc omnia facientes, & vosmetiplos salvos facietis & eos, qui vos audient.

### §. 9.

Vos pariter devoti Christi fideles, quos cura Nostra complebitur, paterno exhortamur affectu, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis, neve pios Pastorum conatus in vestrum tendentes profectum inutiles fieri, atque inanes patiamini. Viscera, & Sanguinem JESU Christi redolens cura animarum erit adversum vos in æterno divini Judicis examine in testimonium, si tantam neglexeritis salutem. Judicium quidem durissimum his, qui præfunt, fiet; sed quis finis eorum, qui non obediunt Evangelio, qui sacerdotes Domini, ministros Christi, animarum pastores, & ad cælestem patriam duces dura cervice, & superbo tumore contemnunt, incircumcis labii proscindunt, & salutis adjumentum vertunt in damnationis augmentum? Nolite ergo negligere gratiam Dei, obedite Superioribus ecclesiasticis æque, ac sæcularibus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Sic state charissimi in Domino, & prompti ad obediendum animis suscipite hanc adhortationem nostram, reliquosque nostros, vestrorumque Præpositorum conatus pro vestra exhortatione, & salute, piis apud Deum precibus adjuvate, qui bus in perpetuæ felicitatis auspiciū, & paternæ pignus charitatis Pastoralē nostram Benedictionē peramanter impertimur. Labaci ex Residentia Archiepiscopali die 23tia Martii 1804.

**Michael Archi - Episcopus mp.**



Nrus	Nomen , Cog- nomen , Status	Aetas.	Confirmat.	Confess.	Comunic.	Anno 1804.		Anno 1805.	
						mores	scientia	mores	scientia



2

3

4

